

III.

NEOVIDENSIS

Nro 62. (Neovidensis Nro 85.)

Ulysses, vir facundia, calliditate, et bellicis laboribus notissimus, in bello Trojano Palladium rapuit, occidit Achillem, jugulavit Polyzenam, varia per decennium maris pericula expertus est, Syrenum insidias evasit, tum ad inferos descendit, unde hunc sermonem politicum exportavit.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 2. Nov. 1804. (Neov. 19. Oct.)

Vociferatio nocturni vigilis in China. Rhi Pfin let chim! Ella ma chras! Regnum Chinesse bis est a Tartaris occupatum! Attendite vobis!

O r a t i o,

*quam Pechini in Casarea societate vaccinatorum dixit
Mandarinus Oukicoumu Kynyn.*

Annus solaris constans 365 diebus, Inoculatio naturalium variolarum, usus chartæ, & acus magneticæ, Typographia, & pulvis pyrius prius erant nobis cognita, quam Europæis. Hæc inventa grati referimus in acceptis Magno Tieno, cujus adorationem secundum Confucii doctrinam occipimus a precii

bus cum emendatione animi, & applicatione ad modum vivendi.

Propterea fidem nostram puræ observationi, aut experientiæ, licet universali inductione probetur, non superstruimus.

Hodierna dies sit inventæ ab Anglis vaccinationi sacrata. Ob hanc inde a tribus annis nulla corripit mortalitas nostram juventutem. Si eadem subsequis etiam temporibus sub nulla maligna specie (quod modo adhuc decidere non possumus) proruperit, gravissima habemus argumenta Magno Tieno universale holocaustum, quod in toto imperio promulgetur, offerendi, siquidem nos, & posteri nostri feliciores effecti sumus, & adhuc siemus. Verum, nescio, unde veniat, valde suspensio expecto animo, quo sit res ista evasura. Si mihi dono data felicitas videatur perfecta, vel est unilateralis, vel ejus usus parit satietatem, quam cavere oportet. *Attendite vobis!* In nostris 15. magnis Provinciis habitant 100 millionibus plures incolæ. Regni nostri longitudo ab oriente versus occidentem 400, & a meridie ad septentrionem complectitur 330 milliaria, quorum 15 efficiunt unum gradum æquatoris, vel Meridiani. Terra nostra profert omnis generis fructus; In quibusdam locis bis per annum metimus fruges, licet dentur quædam vicinæ, quæ propter lapidosum solum, & montes flammivomos desertæ sunt, & inhabitatoribus vacuæ.

Perpendite itaque Collegæ ornatissimi! Si imminutionem hominum vaccinatione impederit, si consumentes plures fuerint quam consumptibilia, si supra modum aucta hominum multitudo famem induxerit, nonne universi hoc ex Europa allatum beneficium diris devovebimus? exclamabimusque, utinam nunquam ab antiqua consuetudine humanas variolas inoculandi recessissemus!

Dispiciate porro: Ex inoculatis humanis variolis remansisse in vultus prolium quosdam vix observabiles scrobiculos, aut tenuia commorationis signa, unde imaginaria formæ venustas, diversitasque cuticulæ enata est.

Nunc homines erunt sibi multo similiores, delectui præcludetur via, uxores permutabuntur; Ut ergo perversitati morum occurratur, necesse erit illis, quemadmodum equis vel in fronte, vel genis stigma iurare; Illæ reluctabuntur, quærent modum emigrandi, vel plane suos procos, qui eas ejusmodi dono sponsalicio ornare cupiunt, veneno interimendi. Inter viros autem certamina, & homicidia ibunt in consuetudinem. Coram judicio nocentes cum innocentibus commiscebuntur, quis enim erit, qui eos sciat a se invicem distinguere? *Attendite vobis!*

Non sumus satis, superque a peregrinantibus edoceri, quanta mala intulerit Europæis æqualitas? Nolumus alieno periculo sapere? Non objicitur nobis jam dudum, omnes no-

stras in vasis porcellanicis effictas figuras unam, eandemque referre vultus speciem? Non confirmabitur in dies magis hæc exprobratio? Non cogemur tandem affirmare: Iste Chinensis est alteri similis veluti canis cani?

Ex omnibus pictoribus, si nondum sunt, fient homines nihili, in eorum enim picturis nemo nobilem dignoscet ab ignobili.

Rumore accepi Medicum Mandarinum Viennensem nomine Gallium curasse Tsominguo sufferendam furto nationalem Calvariam, ut demonstraret, nos omnes, quod attinet ossa, sine discrimine Chinenses esse, atque adeo nostrum Imperatorem non esse meliorem capite præditum, quam publicum nocturnum vigilem. *Attendite vobis!*

Quis scit, an per pecuinam inoculationem non simus pecora futura? An non retenta corporis pulchritudine incidemus in deformitatem animi?

Philosophici Mandarinum in Anglia, & Holsatia dicuntur observasse, ancillas, & famulos vaccarum, qui contrahendæ naturali vaccarum contagioni expositi erant, ex stupiditate nunquam inivisse matrimonium extra suam conditionem. *Attendite vobis!*

Quis determinaverit, an non conflaverit hæc inoculatio in America, & Malagæ in Hispania flavam febrim, quæ ante illius inventionem ignota fuit? *Attendite vobis!*

Non eructat in astra favillas Neapolitanus Vesuvius, qui ante vaccinas variolæ

quieti
mivo

stenu
vario
tum,
metsi
tur e
pro c

rint
nis.

la es
Prov
aut f
pecu
blicu
nem
poti

vacc
sola
mun
vobi

enin
pera
tam
qua
gnit
lit

Att

quietus constiterat? Forte desunt nobis flammivomi montes? *Attendite vobis!*

Hollandi, lucri studiosissimi, nullum haecenus forense pretium statuerunt vaccino variolarum veneno. Non est hoc argumentum, nullum illi adhuc inesse valorem, tamen in diversis Europæ Civitatibus habeantur ejus emporia, in quibus quisque suum pro optimo venditat. *Attendite vobis!*

Sancte Confuci! protege nos. Si fuerint multi homines, occisionis nullus erit finis. Maximi Diplomaticorum evicerunt, bella esse beneficas venæ incisiones multarum Provinciarum, ne homines in iis degentes aut fame pereant, aut solum vertant, & ut pecuniæ numerosæ influant in ararium publicum, nam non nisi pauper fundit sanguinem. Dives non libenter castra sequitur, sed, potius custodit fornacem. *Attendite vobis!*

Sancte Confuci! adjuva nos. Ne per vaccinas variolas sicut americanus fructus solani tuberosi degeneremus, & ad extremum Satyris similes evadamus. *Attendite vobis!*

Sancte Confuci! assiste nobis. Parva enim subiecta magna minantur, acsi hæc operatio foret maximus Heroum actus, cum tamen, uti inter omnes jam dudum constat, quævis vetula illam absque omni prævia cognitione perficere possit. Homo pungit, & sit vulnus. — In hoc summa rei consistit. *Attendite vobis!*

Dive Confuci! succurre nobis. Charta

vel amplificato væniet pretio, vel omnino defectus ejusdem enascetur, jam enim multi medicinæ periti Mandarinî, & Bonsii integros fascies suis nihil significantibus observationibus conscripserunt. Unde formabunt imposterum nostri mercatores suos accepti, & expensî codices? Cui rei apprimet Gubernium sua publica signa? Forte nec tantum remanebit, quantum nostra mundities requirit? *Attendite vobis!*

Dive Confuci! auxiliare nobis, & si ista ita se habere debent, hæcque est tua summa voluntas, procura nobis vaccas, quæ, ne vaccinatio intereat, semper recens suppeditent venenum, neve hoc per migrationem in longinquas regiones tandem longe aliam induat naturam; Nostra etenim Adversaria testantur hujus tam diu, & tam procul peregrinantis veneui, licet pustulam producat, reliquias esse, affectos oculos, ulcera, cariem ossium, & coloniam animalculorum in capite nidificantium; A quibus nos omnes Magnus Tienus immunes clementer conservet! Eapropter tentate omnia, & quæ fuerint optima, tenete. Sapienter constituerunt nostri majores, ut vigil publicus qualibet noctis hora altiore voce clamet: *Attendite vobis!* Qui namque sine discrimine omnem rumorem arripit, credit, quod scire nequit, metetur in domum Stultorum Tarfferani *) ha-

*) Chineses ædificaverunt distinctam urbem in gratiam suorum mente captorum, puerilium, hy-

bitantium suscipi, ubi in singulis plateis reperiet sibi similes. Sit alta mente repostum: Dies diem docet.

A p p e n d i x.

Erat quædam species lætitiæ apud inferos, quod non ita multæ proles, sicut prius, illuc descendant. Olim certe quartam partem earum variolæ eo detruserant. Hoc, dicebant exultando Manes, adscribendum esse vaccinationi. Sed quam inpenetrabilis est cursus Mundi! Vix se liberarunt homines a peste variolarum, & jam nova longe periculosior infirmitas corripit orbem terrarum, videlicet flava febris. De futuro eratis solliciti, ne, si non fuerit numerus hominum per variolas imminutus, non sit terra par nutriendis innumeris nascituris; credebatis vos ob nimiam copiam mutuo consumendos, & homicidia, famem, aliasque calamitates ex penuria orituras. Pauperculi mortales! Quid est vestra providentia, quid metus, quid prævisio futurorum? Putabatis variolas esse extirpatas, ideo horrebat ani-

drocephalicorum, Lunaticorum stultorum, & sannionum. Incolæ ejus se prudentissimos Regni putant, & forte non errant toto cælo. —

Animadversio interpretis.

mus, ne posteri vestri multitudine laborantes non habeant, unde alantur. Jam aliud malum minatur vobis majorem interuersionem, jam dissipat flava febris hunc forte præmaturum timorem. Quis audivit quidquam de hac morbi specie ante 30 annos? Americani Status, qui repente ad magnitudinem præcipuorum regnorum eluctati sunt, qui jam victrices oculos in Europam converterunt, minitandoque inclamare videbantur: Vos Europæi Americam expugnastis, Nunc in vobis est ordo, veniemus, aggrediemur, vincemus. Americani, inquam erant primi, quos terribilis hic morbus ante aliquot annos infestare cœpit. Mortiferum hoc malum primum ex America in Hispaniam, ita superbam olim Ditionem translatum est. Legantur in Ephemeridibus tristes nuncii de Malaga, & Almavia: In primo loco terribilem in modum grassatur flava febris, & terræ motus prosternit ferme omnes urbes in oris maris mediterranei sitas. Videtur America hoc flavum virus in Hispaniam mittere, ut de præteritis occupationibus, & exercita tunc temporis crudelitate vindictam sumat. Quis affirmabit, quas regiones peragratura sit hæc hominum perniciēs? Etiam si non fuerit opere completa prædictio, ut Americani Europam suæ potestati subiciant, in hoc tamen sensu vera est, vastatum iri ab illis Europam non ferro, sed flavæ febris contagione.

N E

Secretu

Germa

Elysium

Suavi
nomin
quod
conjun
sitate

Qu
libido
vitæ r
Mulie
sibi et
derior
sit pla
etur,
nium
fugiu
unus

A
amen
in ha
tates
ment